



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæst. 1. An semper adsit congregatis in nomine suo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

QVÆSTIO I.

An semper adsit congregatis in nomine suo?

Conciliorum auctoritas.]

§. 1. **I**n nomine Christi congregari, est conuenire eius ius autoritate, ad eius gloriam, vt caput & Dominum ipsum agnoscant. Conciliorum autoritatem hisce verbis semper sancti Patres, imo ipsa Concilia probant: si enim duobus tantum promittitur, cur non toti Ecclesiæ? At vero in Concilio generali omnis Ecclesiæ conuenit, in prouinciali pars, sed capite suo iuncta: nam Pontificis consensu conuenit, & confirmatione roboratur, Caluinus Conciliorum autoritatem abrogat, quod incertum sit, conuenient ne in nomine Christi, atque illa ipsa non modo Confessores, & Episcopos sanctos habuerunt, verum etiam multos martyrio candidatos, & post occisos, de quibus dubitare non licet, an conuenierint in nomine Christi, si passi sunt pro Christo.

VERSVS 21. 22.

Ideo assimilatum è regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

QVÆSTIO I.

Quoties proximo remittendum?

Semper remittendū proximo.

§. 1. **C**um Petrus sibi, suisque facultatem ligandi & soluendi concedendam audisset, de vsu potestatis dubitat. Crebræ enim sunt iniuriæ & nimia indulgentia ad deteriora videtur incitamentum esse. Certi igitur aliquid statui desiderat, Ideoque & certum ponit numerum. Septies vero in die cadit iustus ita etiam septies remitti posse existimat. *Vsq; septies* inquit Syrus, *לשבע וברין* *Laschabagh, Zabim*, ad septem tempora, seu vices septem. regerit eundem numerum, quia Petrus illum quasi nimis magnum proposuit. Itaque in decuplum non modo, sed in centuplum auget, vt sit 70. per 7. multiplicata, vel 77. tantum. Græcus è *ἑβδομηκοντάκις ἑπτά*. Itaque 490. vices, hoc est quotiescunque peccarit. August. ferm. 15. de ferm. dom. Peccat semel ignoui, peccat secundo, & tertio ignoui, quarto vapulet. Corripimus verbis, & si opus est verberibus, sed delictum dimittimus, culpam de corde abijcimus, vt si per charitatem imponatur disciplina, de corde leuitas non recedat. Si tantum ab hominibus exigit clementiam quanta est in Deo? Syrus habet *לשבעין וברין שבע* *laschabghin, Zabnin, shebagh*. ad septuaginta vices, septem Septem. Hebræi eodem modo solent loqui. *לשבעים פעמים שבעה שבעה* *Laschibghim paghamim, schibgha, schibgha*. Septuaginta vicibus, septies, septies seu septem septem.

Quemadmodū autem omnes sibi conciliati sunt & amici, sibiq; cupiunt ignosci, ita in alios duri sunt, iniurias enim sibi illatas æstimant, non item quibus alios agitant. Luc. 7. 4. Si septies peccauerit in te, & septies conuersus ad te dicens: Penitet me, remitte ei: Hoc Christus dixit, deinde addidit seu explicuit, non tantum septies sed septuagies septies. Sæpissime igitur condonari Deus vult, nunquam iram retineri.

§. 2. Lucas penitentiam requirit, quibus ex verbis nonnulli odisse sibi & persequi inimicos permittunt nisi illi respiciant. Errant illi: inimicos enim diligere oportet, etsi persistant in pertinacia, & indices illudere vobis, nouas offensiones accumulando pergant, non tamen opus est, aut vos iustos & sanctos, quodque gratiam consecuti sunt, existimare, aut illis fidere, atque in familiaritatem recipere.

Quomodo autem læsos vltro deprecari fas sit, docet Petrus S. Hieronym. in Psal. 119. explicans illud. *Relinque ipsorum munus tuum ad altare.*

Nulia enim oblatio Deo facta grata est, quam odium proximi, & simultas inficit. Nulla gratior quæ Dei causa proximo remittere. Deo enim vel seueritatis, vel misericordiæ legem dictare videtur, qui vel inexorabilis fratri non vult ignoscere, vel facilis omnia donat.

§. 3. Nouatianorum & Anabaptistarum superbam pertinaciam hoc Elogio patres, & Ecclesiastici tractatores fulminarunt de quibus crebro actum est.

VERSVS 23.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei: vsq; septies: Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

QVÆSTIO I.

Quis Rex?

§. 1. **D**eus ipse rex est ex lege comparationis, quod enim cum suis debitoribus Rex agit, hoc & Christus cum suis. Pollux. l. 9. c. 9. Atticum talentum ait esse sex millium drachmarum atticarum, Babylonium millium septem. Eginæum decem millium. Syrum mille & quingentarum iuxta atticæ drachmæ rationem: hic ingens precium significatur, cui soluendo seruus non esset. Similitudinis vis præcipue in eo consistit: quod Dominus & seruus comparatur, deinde conserui. Dominus seruo ingentem summam donat. Seruus conseruum exigui precij causa suffocat, & in carcerem conijcit.

VERSVS 24. 25. 26.

Et cum cepisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & uxorem eius & filios & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

QVÆSTIO I.

Quomodo Dominus debita exigit?

§. 1. **M**agnam seueritatem præfert vt ius suum ostendat & seruum suæ conditionis admoneat, alioqui mitiore sententia supplicij condonat omnia, ita Deus quoque ius suum ostendisse contentus facile ignoscit penitentibus, & veniam rogantibus, seruus ille ponitur qui prouinciam aliquam administrat, ac inde plurima debita contraxit. Debitorum Romæ addicebantur, dabantur in nexum, crudelis lex quæ diuidebat. lege duobus decem tabularum plures creditores, corpus secesserant. Gellius noctium Attic. lib. 20. capite 1. in Extremo